A

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
68
13 A
51.


image
not
available

1556
Hier. de Aula

VIA QVAEDAM
& ratio latine sciendi quàm breuissima.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hier. de Aula

Romæ apud Antonium Bladum. M D L VI.

5. 20. 1. 82

Svmma Totivs Viae Et Rationis.

1 Lectio.
2 Inflexio.
3 Interpretatio ad uerbum.
4 Interpretatio ad sensum.
5 Regulæ latinæ eloquutionis.
6 Scriptio quàm rarissima.
7 Regulæ Grammatices.
8 Regulæ Rhetorices.
9 Regulæ Dialectices.
10 Scriptio frequentissima.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS. DOMINO D. Alexandro Sfortiæ, S.

VLTIS in rebus, semper animaduerti, bonarum te literarum, ardentissime cupidum. Quem tamen tuum ardorem, ita nonnullorum (ut leuissime dicam) ignorantia, subinde restinguere uidetur, ut te à literis auocantes, ad omnia alia, licet inuitissimum, pertrahant. Quùm enim tu quotidie, latinæ eloquentiæ naues operam, isti, quas Grammaticæ regulas appellant, subinde obiciunt tibi. Constantissime asseuerantes, nulla ratione fieri posse, ut latina sine his eloquentia comparetur. Quamobrem, ego qui semper tibi uolo, tibi cupio, omnia tibi debeo, operæpretium mihi facturus uideor, si tibi paulo altius, omnem hanc rationem expediam. Tibi enim, utilissimum fore arbitror, si à principio, rem omnem intelligas,

& ipsius initia Grammatices, & earum quas regulas appellant, uim & naturam, & quem potissimum, regulæ, in discendo, locum debeant obtinere.

Initia Grãmatices:

Grammatices tum ortum, facillime comprehendes, quùm illud intelliges, esse omnino res quatuor, in quibus rebus, huius explicatio negotij continetur, Res, Imagines, Voces, Literas. Obsecro, ut quàm diligentissime, memoriæ mandes, hæc quæ dixi capita. Quo facilius, & ea quæ sum dicturus intelligere, & recte, intellecta iudicare possis. Totum hoc negotium, his in rebus omnino uersari dico, Rebus, Imaginibus, Vocibus, Literis. Res appellare placet, aurum, argentum, lapides, animalia, cæteraq;, quæ, uel natura edita, uel hominum artificio, nostram longe ante præcedunt imaginem. Porrò res ipsæ, quùm nostris sese ferunt obuiæ sensibus, eosq; ui quadam innata feriunt, fit ut ingeneretur animis quiddam, quod Græci εἴδωλον, Latini spectrum uel Imaginem, appellare consueuerũt. Nos Imaginem maluimus. Quòd si non esset id

Imagiẽs

animal homo, quod societate maxime gauderet, satis superq; esset, hæc rerum cognitio, quæ Imaginum tantum finibus continetur. Nunc uerò, nulla ratione fieri potest, ut hac sua rerum comprehensione, contentus esse uelit, nisi hanc, ipsi etiam amici participent. Quo fit, ut uocibus, omnes homines utantur, quibus uocibus, cogitata mentis suæ, in aliorum animos insinuent. Ea est enim uocis natura, ut semper eum qui audit, instruat, edoceat, eiq; commõstret, quid sibi uelit, is cui uoce uti libuit. Sed illud habent uoces incommodi, ut præsentes tantum docere possint. Eaq; est hominum cupiditas, ut etiam longe distantes, etiam post, immenso prope tempore futuros, docere uelit. Quibus efficitur rebus, ut quemadmodum uocibus, sic etiam literis, quæ uoces deferre possint, ad eos etiam qui quàm longissime distant, homines passim utantur. Quorsum hæc? Vt illud intelligas, Res ipsas, longe ante præcedere, eam quæ post, animis ingeneratur Imago. Ipsamq; imaginem, animis insidere, ante quàm omnino uoces edantur. Literas Voces.

uerò, ex illo uocum incommodo ortas, postremũ generationis ordinem obtinere. Erãt enim Res, ante quàm imagine comprehenderentur. Erant Imagines, ante quàm enuntiarentur Vocibus. Erant Voces, ante quàm hominum diligentia, in pagina depingerentur. Quo, illa necessario efficiuntur, neminem omnino, nisi cuius sensus, quùm bene ualeat, sensilium pulsatur obiectu, sensifero cietur motu, imagine quicq; comprehendere posse, Nisi cuius animo, & ingenerari & tenacissime sensa hærere possunt, latinæ uim et naturam uocis tenere neminem. Neminem denique, quid sibi uelint literæ, quid ualeant, quid unaquæque monstret, cuius sint imagines atque picturæ, sentire & mente percipere, nisi cuius aures, latinis uocibus insonuerint. Age uero, ut tandem ipsius ortum Grammaticæ ostendamus, illud animaduerte. Postquàm homines, ea quæ Imaginibus apprehenderant, enuntiabant uoce, Postquàm latine, & sciebant & loquebantur, fuisse nonnullos, quibus non fuit satis, cum præsentibus loqui. Sed quas uoces, passim et uulgo

edebant omnes, eas literarum monimentis mandauerunt. Quod enim mente conceperant, quod amicis præsentibus eloquebantur, id etiam posteris in pagina depinxerunt. Idq; tum recte faciebant, tum sine ullo errore, uoces et sensa perscribere uidebantur, quùm à uulgari sermonis consuetudine non recedebant. Iam hic tandem Grammatica inquies. Tace modo. Nondum hic Grammatica. Vt enim is bene loquebatur, qui latini sermonis usum, ducem habebat, sic recte scribebat, is qui uoces tantum latinas, qui uerborum structuram, eam tantum qua utebantur latini, exarabat in chartis. Quando igitur tandem Grammatica? Nunc id audies. Nunc id intelliges. Si purgatis auribus, si nullo peruersi erroris affectu, mihi huc adsis. Non enim gustus, amaro infectus sapore, lactis experitur dulcedinem. Mel amarum uidetur. Ergo omni reiecto errore, mentisq; nube pulsa, imis hæc sensibus accipe. Primi homines, contenti Rerum cognitione, satis habebant, si res ipsas, Imagine animis tenerent. Alij, longe his diligentiores, inue- Res. Imagiēs

Voces. nerunt, quùm uerba, quibus uerbis, cum amicis, animi sui simplicia illa sensa exprimerent, tum (id quod lõge est difficilius) uerborum congruã quandam structuram & nexum. Non ne hic saltem Grammatica? Apage. Nihil dum hic Grãmaticæ. Nihil. Ne nomen quidem. Alij, maiore Literæ. industria præditi, literas exararunt, quibus literis, quasi uerborum picturis, absentes docerent. Quas, quùm ferè omnes rite connecterent, et ut in uoce, uerborum quiddam congruum sequerentur, ueri simile mihi uidetur, extitisse etiam nonnullos, quibus & literæ & uerba, inepto cohærerent ordine. Habeo. Hic certe est Grammatica. Nondum Grammaticæ nomen. At quo loco eam reperiemus? Vbi est orta? Qua orbis parte uersatur? Fuere alij, qui acumine ingenij, maximáq; prudentia præditi, quùm uiderent, inter loquendum nonnullos, & inter scribendum exorbitare, non iam in Res ipsas, ut alij, non in rerũ Voces. Imagines, sed in Voces & literas, summo stu- Literæ. dio incubuerunt. Atque ut illi, rebus inuenere uocabula, sic hi, uocabulis alia uocabula indide-

runt. Quumq; uoces & literas latinas, non secus ac materiã faber lignarius, oculis subiectas haberent, & literis latinis & uocibus, hæc adiunxere uocabula. Vocalis, consonans, muta, liquida, syllaba, dictio, oratio, nomen, uerbum, præpositio, aduerbium, nominatiuus, genitiuus, præsens, imperfectum, actiuum, passiuum, neutrum. Quæ non iam esse rerum, sed uocabulorum uocabula, quiuis modo non desipiens, intelligere potest. Nam cuius rei (obsecro) nomen est, syllaba? Cuius præpositio? At liquida, rei uocabulum est. Vocatur enim liquida aqua. Id quidem certe. Sed non eo modo quo Grammaticus utitur, rei uocabulum, sed uocabuli tantum uocabulum esse reperietur. Hic iam igitur, nõ Grammatica quidem, sed prima quasi Grammaticæ semina. Sunt enim illa omnia, uocabula quibus Gramãticus utitur, & quorum mutuo nexu nascuntur, ea quæ Grammatices præcepta dicuntur, quæq; unà collecta, unumq; spectantia finem, tum uerò Grammaticæ tribuunt nomen artis. Hic ille est igitur, artificij & industriæ plenus,

Grãmaticæ ortus.

Grammaticæ ortus. Hæc illa est, acutissimæ huius constitutio artis. Res ipsæ, suas imprimunt animis Imagines. Rebus Imagine comprehensis, sua destinantur uocabula. Vocabulorum affectibus, sua fiunt Grammaticæ artis propria nomina. Quorum nominum, ordinata quædam collectio, & præceptorum quæ ex his nascuntur aggregatio, ordine constituta, huius tam uariæ, tamq; multiplicis artis, naturam constituerunt. Alia est igitur rerum cognitio, alia uocabulorum quæ linguæ latinæ sunt propria, et horum congruæ cuiusdam & usitatæ structuræ nexusq;. Longeq; ab his distat, eorum nominum, quæ sibi propria asciuit Grãmaticus, comprehensio. Iam uerò multo longius, præceptorũ quæ nexu dictorum nominum componuntur, et recta intelligentia, & artificiosus ordo. Quæ omnia, quanquam ita sint aperta, ut omnibus, ita se habere uideri possint, nos tamen, crassiore (ut aiunt) minerua, eadem ostendemus. Esto igitur exempli causa, scriptus, oculisq; nobis subiectus, uulgatus illi poëtæ distichus.

Grãmaticæ natura.

Tempora labuntur, tacitísq; senescimus annis. Et fugiunt fræno non remorante dies. Nosq; exempli gratia, quo res cognitu sit facilior, eo simus tempore, quo uulgus, latine sciebat & loquebatur. Erunt forte multi, qui rerum cognitione cõtenti, uel per se ipsi, quadam ingenij bonitate, uel (id quod longe facilius est) alio commonstrante, illud tantũ ex disticho, imagine comprehendent, mortales omnes, in dies, atque adeo in momenta singula, quanuis id minime sentiant, consenescere. Hi uero, de lingua latina nullatenus meminerunt. De Grammaticæ nominibus, déq; eiusdem præceptis, nullatenus. Hi enim, rerum modo cognitionem sequuntur. Hanc modo complectuntur. Quid uero sibi proprie uelit labi, quid fugere, quid remorarí (id quidem esset latinæ linguæ tenere uim & naturam) hoc certe pro nihilo ducunt. Latissime patet hoc hominũ genus. Nam quo sunt natu homines grandiores, quo maiori, uel rerum usu, uel ingenio præditi, quò deniq; e opibus & potentia, sibi cæteris

præstare uidentur, hoc in rerum cognitionem magis incumbunt, hoc uocabulorum uim & naturam & proprietatem, magis contemnunt. Rerum cognitionem, maximam, linguarum, minimam acquirunt. Atqui non deerunt alij, quibus ista rerum cognitio non sit satis, qui in ipsa uerba latina, omni cogitatione incumbant. Ergo isti, posthabita rerum cognitione, illa perpendũt quàm diligentissime. Quid animis nostris ingeneret uocabulum tempora. Quid labuntur. Quid proprie sit temporum lapsus. Quid taciti anni. Quam cogitationem & mentis imaginem habeas, quùm tacitis annis quippiam fieri dicis. Cæteraq; omnia uerba, primo seorsum singula, post bina, mutuo sibi iuncta, tum terna, postremo uniuersa, ita mente cogitant, ut semper quæ ex uerbis, animis ingeneretur imago, perspicere possint. Hi latinæ student eloquentiæ. Hi purum latini sermonis usũm sequuntur, moremq; loquendi. Quo utebantur more, rectèq; utebantur, etiam ij, quibus, ne Grammatices quidem nomẽ, erat auditum. Ergo hi assidue, quasi

Voces.

in luce et splendore latini sermonis, uersari mihi uidentur. Quibus, uir certe acutissimus, sed uniuerso oratoris splendore carens Grammaticus, accedit. Et primo quidem, ea quæ sunt Grammaticæ artis propria uocabula, in medium affert. tempora, inquit, nomen est. Nomen est, annus, dies, mensis, hora. At uero labi, senescere, fugere, non iam nomina, sed uerba sunt appellanda. Itaq; cætera latinæ eloquentiæ uerba, suo Grammatices ficto quodam uocabulo insignita ostendit. Deinde magis ac magis, à latini oratoris ornatu recedens, ficta illa uocabula inuicem nectens, Nomen, inquit, & casum habet & numerum. Verbum, non modo numerum, sed & tempus quoque, & modum, et personam. Eorum enim quæ ipse sibi finxit uocabulorum nexu, iam constituit illa quæ Grammaticæ sunt propria præcepta, quæq; ordine collecta, acutissimam illam efficiunt artem. Ea siquidem est hominum natura, tam uaria, tamq; multiplex, ut quidam sola sint rerum cognitione contenti, quidam candori linguæ latinæ studeat

Grãmaticæ orãtus.

eloquentiæ, nonnulli, ſpinoſa illa Grammatices præcepta ſectentur. Hactenus, ortum Grammaticæ artis, ſatis mihi expoſuiſſe uideor. Quo iam expoſito, facilius eſt, euius rei quæ ſecundo loco proponebatur explicatio. Quas appellãt Regulas, ſubinde diſcentibus obiectant. Quibus ſine, omnes fruſtra conari contendunt, Nunc igitur mihi, quid ſibi nomen regulæ uelit, paucis explicandum. Tum enim facilius, de Grammaticæ regulis iudicabis, quùm in cæteris quoque rebus, quam uim regulæ habeant intellexeris. Ergo ut primo generatim agamus, quod aliquid regat, regula dicta eſſe uidetur. Propterea dicũt regulam, qua, ut rectas ducant lineas, utuntur, fabri lignarij. Regit enim eum qui operatur, ne operando aberret, ne uſquam exorbitet, ne, quã rectam eſſe uolumus, ulla ſui parte, obliqua eſſe uideatur. Huius quam diximus fabrilis regulæ, ſimile quiddam habet, ea quam latinæ eloquentiæ regulam dicimus. Vt enim illa, ne ducendo lineas, ita hæc ne loquendo exorbites, admonere & regere perpetuo poteſt. Dicunt & aliter

Regulæ

Regula.

regulam. Plura enim huius uocabuli significata, sunt instituta. Sed nos, latini modo sermonis regulas, consyderemus. Ergo genus hoc regularum, quod latinam attingere linguam potest, quadrifariam distribuitur. Omnem enim latinam orationem, & uerbis primo, & loquendi formis, non alienis sed suis, omnino constare oportet. Deinde, uacare mendis omnibus. Tum, esse ornamentis expolitam. Postremo, ita rem subiectam inueniri, ut ueri similis esse omnibus uideatur. Verisimilem, regulæ faciunt Dialectices. Expolitam, Rhetorices. Emendatam Grãmatices. Vt suis constet uerbis, formisq; loquendi, eæ regulæ, quas, linguæ latinæ obseruationes appellant. Quanuis enim eæ, non sint ea ratione regulæ, qua Grammatices, Rhetorices, Dialectices regulæ appellantur, quando tamen, ne loquendo exorbites, ualent te regere, regulas placuit appellare. Non sunt illæ, certum quoddam & generale pronuntiatum, id quod, certissima ratione, regula dicitur, sed particularia quædã monita, ex usu uulgati sermonis deprompta, qui-

Regulæ Dialectices.
Rhetorices.
Grãmatices.
Regulæ latinæ.

bus innixus, loquendo nunquam exorbitabis. Vt cum uerbi gratia, dicendum monent, Vtor Tre bonio, Vtor equo, Vtor consilio, commodis, offi= cio boni uiri. Innumeræ prope sunt, id genus regulæ. Possunt enim ex singulis tantum con= stare uerbis. Vt quùm mihi illud, tanquam re= gulam constituo, quid proprie sit cantherius, quid scrutarius, quid postliminium. Possunt & ex duobus. Infandus dolor, infanda cædes, in= fandus amor. Possunt & ex tribus. Iuno ince= dit regina, Iunonem pudet errati. Tum ex qua= tuor, & ex quinque. Vt si has omnes expone= re forte contendas, difficilius id futurum sit, quàm si maris arenas, numero comprehendere uelis. Hæ quanuis sint tam multæ, sunt tamen eiusmodi, ut sine his, latini sermonis eloquentia comparari non possit. Quomodo enim latine, non dicam, loquēris & scribes, quod immensi propè esse laboris, eorū demōstrat paucitas, qui quotidie id conantur, sed id quod arbitrantur esse facillimū, quomodo inquā latine scies, quùm illa quid sibi uelint nō intelligas, Musā medi

tatis

tanis auena. Nos patriam fugimus. Tu resonare doces Amaryllida syluas? Has enim regulas, in eo constare dicimus, primo ut singula uerba, quid sibi propriè uelint teneas. sitq; ea tibi mente inhærens regula, quæ quùm intelligendo, tum loquendo, errare non sinat, Vadimonium, eam esse obligationem, qua quis, ut ne iudicio desit obligatur, Vindicias, ius possessionis, eius rei, qua de re iudicium constituitur. Itaq; singula. Deinde, ut bina uerba coniungens, quid illa sibi uelint, quasi regulam firmissimam habeas. Vadimonium sistere, uadimonium differre, uadimoniũ missum facere. Tum terna, quaterna, cæteraq; semper eodem modo coniungens, immensam quandam uim regularum, quasi pullulare, & scatere uidebis. Has nonnulli (ut etiam supra diximus) obseruationes linguæ latinæ, quidam eloquutiones, alij loquendi formulas appellarũt. Nulli, quod ego sciam, regulas. Illud enim uniuersi animaduertisse uidentur, & regulæ nomen, uniuersale quoddam præceptum cõtinere,

& illa nihil generatim, singillatim omnia explicare. Ergo hæ, latinum sermonem, suis constare uerbis efficiunt. Quibus accedunt, eæ quæ uerissimè regulæ appellantur. semper.n. generali quodam præcepto continentur. Nomina aiunt, per casus & numeros inflectuntur. Verba, primum quidem per tempora, tum uero tempora ipsa, per modos, numeros, & personas deriuantur. Nomina, sibi, eodem numero, eadémq; persona, uerba semper asciscunt. Itaq; sexcenta præcipiunt. Harum omnium unamquanq;, duabus tantum partibus, constare necesse est. Quarum partium, Priorem, Subiectum, Posteriorem, Prædicamentum, placuit appellare. Vt si uerbi gratia dixero, uerbum passiuum, caret præterito perfecto. subiectum esse dico, uerbum passiuum. Reliquum uero omne, prædicamentum. Porrò ea est subiecti natura, in unaquaq; regula, atq; adeo in omni pronuntiato, ut nemo unquam, quid sibi ipsa regula uelit, intelligere, nemo prædicamenti naturam, mente comprehendere possit, nisi qui

Regulæ partes.

subiectū Prædicamētū.

Intelligē di ordo.

ante, subiecti naturam, quidnam totum ipsum sibi uelit, exactissima ratione tenuerit. Nam qui fieri potest, ut intelligã, arma esse nomẽ, nisi prius intellexero, uocabulum arma, quod subiectum esse iam docuimus? Qui uero, nomẽ per casus inflecti, nisi quæ nam Grammaticis appellentur nomina, longe ante tenuero? Est id humani ingenij proprium, atque adeo insitum natura, ut in quauis oratione, prius natura subiecti discenda sit. Ex huius uero cognitione, alterius partis, eius quod appellamus prædicamentum, cognitionem expiscari solemus. Tum uero totum pronuntiatum, totamq; regulam, quidnam sibi uelit, possumus intelligere. Verũ enim uero, quando semel cœpimus, ut uis & natura cuiusq; regulæ, comprehendatur penitus, id paulo mihi altius repetendum uidetur. Est igitur ea, cuiusq; orationis natura, ut semper eum qui audit, edoceat aliquid, atq; commonstret. Nam et qui iubet, qui optat, qui premitur dolore, suam quandam animi notionem, in auditoris animum, cupit infundere.

Discẽdi ordo.

Magis tamen id esse uerum, quod dicimus, apparet, in ea oratione, quæ sine iussu, sine ullis optatibus, sine ulla doloris molestia, aliquid indicat, aliquid enuntiat. Crassus tris legatos decernit. Pompeius cupere videtur. Homines se Pompeio gratificari putant. Nonne uides, in singulis quæ proposuimus, aliquid edoceri, quod prius nesciebatur? Sciebat hæc ét antea Cicero. Nescíebat Lẽtulus. Ergo ut Lentulũ doceret, ea Cicero usus est oratione, quam diximus. Nec me præterit tria illa esse orationis munera, ut doceat, ut moueat, ut delectet. Verũ ut non moueat, non delectet, oratio, sæpius quã uelllemus, contingere solet. Vt prorsus nihil doceat, nulla id ratione fieri potest. Dedit orationem mortalibus, benignissimus ille parens, ut quæ maximo cũ labore, ipsi sine ullo monstrante, eramus reperturi, eadem, ex loquente, quàm facillime hauriremus. Nullo igitur pacto, dubium esse arbitror, quin unaquæque oratio, quippiam doceat. Verum enimuero, illud natu-

Orationis finis.

ra insitum habet doctrina, illud est cuiusq; docentis proprium, illud discentis cuiusque, ut quicquid doceatur, quicquid discatur, ex alio, longe ante cognito, discatur & doceatur. si quid ipse scias, aliud ex hoc, possis addiscere, aliud ex hoc possimus te docere. si nihil ipse scias, nihil unquam te doceamus, nihil unquam discas. Affer in medium aliquid ex tuo. Tum ex mutuo sermone, et communi negotio, poteris nonnihil lucrari. Propterea, duabus constat partibus, omnis regula, atque adeo omne pronuntiatum. Harum partium, alteram cognitam supponimus, docemus alteram. Subiectum, cognitum supponimus, docemus prædicamentum. Subiectum, id est, quod ex tuo in medium affers. Prædicamentum, id quod ex mutuo sermone, id quod ex communi negotio lucraris. Crassus tris legatos decernit. Sciebat Lentulus Crassum. Nesciebat, eũ tris legatos decernere. Ergo ex eo quod sciebat, id etiam quod non sciebat, potuit edoceri. Ea igitur est, cuiusq; regulæ, uis & natura, ut regulæ sub-

Subiectũ

Prædicamentum

Regula

iectum, memoremus modo, illi qui audit. Reliquum uero omne, quod in oratione expositum erit, (appellauimus id prædicamentum) id uero, non memoremus, sed ab initio, tum primum edoceamus. Harum, aliæ pertinent ad Grammaticum. Vt quũ illud præcipimus. Verba omnia, quæcunq; in eo sunt genere, quod transitiuum appellant, accusatiuo libenter iungi. Aliæ ad Rhetorem. Nonnullæ ad Dialecticum. De quibus mox erit nobis dicendum. Nunc ea quæ Grammaticæ credimus esse propria, explicentur. Omnem igitur Grammatices regulam, duorum quorundam generum, in altero necesse est contineri. sunt enim quædam, quarum uidemus esse subiectum, id uocabulum, quod latinæ linguæ proprium esse didicimus. Vt quùm dicimus, Arma esse nomen. Non enim rem significatam, sed rei uocabulum illud, affirmauimus esse nomen. Hoc regularum genus, illud modo demonstrat, quænam sint illa, quæ dicuntur Grammaticis nomina. sunt enim, arma lignũ animal, terra celũ, et huiuscemodi cætera.

Regulæ Grãmaticæ.

Quare imperfecta quadam ratione, regula dicitur. Est alterum genus, quod & iustius appelletur regula, & sua ui & natura, ipsum corpus artis efficere possit. Vt quùm dico, Nomen, & casum habere & numerum. Quo in genere, & subiectum & prædicamentum, illud est uocabulum, quod Grammaticæ artis diximus esse proprium. Quare, & longe hoc genus sequitur, & illo priori difficilius est. Nemo enim, hoc mente capere potest, nisi prius, quid sibi uelit regulæ subiectum, uerbi gratia NOMEN, intellexerit. Atqui, ut modo monstrauimus, nemo id assequetur, ut intelligat aruia esse nomen, nisi prius, arma, lignū, animal, et cætera quæ diximus, comprehenderit. Quare, ut hoc regularum genus cognoscatur, et illud prius, antea necesse est cognouisse. Hæc à doctissimis uiris appellantur regulæ. Quas uero isti regulas appellant, quasq; totius negotij fundamentum esse aiunt, longè abest, ut Grammatices regulæ sint appellandæ. Hi namque suum quendam, in medium afferunt libellum, quem uulgo regulas appellāt.

In quo exactissimo quodam ordine, habent, quas appellant Regulas, distributas. In eo siquidem prima actiuorum regula continetur, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima. Passiuorum item, prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima. Neutrorum similiter, & deponentium, & communium. Cuius quidem ordinis distributione, si numeros spectes, nihil unquam magis erit exactum. Si docendi uiam & rationem, nihil à doctrina magis uidebitur alienum. Nihil enim, prima actiuorum regula, docere te potest. Non enim in ea poteris demonstrare, quid subiectum, quid prædicamentum esse uelis. Non quid sit, id quod supponitur tibi longè ante cognitum, quid sit, id quod in præsentia nunc primum docearis. Porrò quùm duo sint regularum genera, alterum quod semper, alterũ quod frequenter, continet ueritatem, in ea quam dixi, neutrum omnino poteris inuenire. Nullum enim generale præceptum continet, nullum quod, frequenter saltem, ita sit ut præcipitur. Nisi forte, illud cuipiam uideatur. Omnia uerba, quæ à tergo, tan-

tum accusatiuo iunguntur, huius nimirum esse regulæ oportere. Esto. Ita esse, mihi etiam sit uerisimile. Quid tandem, hoc generali pronuntiato docemur? Omnia quæ ita construuntur, huius esse regulæ. Quænam sunt illa, quæ ita construuntur? Quo loco id docuisti? Quo signo nunc doces? Illud modo demonstras, Omnia quæ ipse cognouero, ita construi, huius esse regulæ. Quæ ita construantur, non doces. At facillime docere id poteras, si uerbi gratia dixisses. Omnia uerba, quorum operatio in corpus transire potest, accusatiuum asciscunt. Doces huius esse regulæ. Quid est huius esse regulæ? Quam tibi animi notionem, & imaginem affert? Quam in loquendo & scribendo utilitatem? Mihi quidem certe nullam. Nullum igitur generale pronuntiatum poterit continere. Eam enim qui excogitauit primus, illud modo demonstrare uolebat, esse quædam uerba, quæ accusatiuo tantum, à tergo iunguntur. Id uero, tanto non egut apparatu. Satis superq; fuit, diligẽter explicare,

Arma virumq; cano. Tunc meis non tuis oculis id perspicere potuissem. Tunc eius rei certam scientiam tenuissem. Et quid de Grammaticæ quidem regulis mihi sentiendum uideatur, audisti. Nunc de Rhetoricis et Dialecticis, pauca dicenda. Nascuntur primo, Rhetorices & Dialectices propria uocabula, post linguæ latinæ certam scientiam, eo modo, quo Grammatices oriri nomina iam exposuimus. Olim scieba-

Regulæ Rhetoricæ.

mus illa, Gens inimica mihi, Tyrrhenum nauigat æquor, Ilium in Italiã portans, victosq; penates. Accessit Rhetor. Admonuit, hanc eam esse orationis partem, quam ipse narrationem appellaret. Tum aliam quandam scriptam orationem, digito mihi demõstrans, hanc, inquit, nos Rhetorici, Confirmationem appellamus, Aliam Exordium. Confirmationem aliam. Constitutionem. Rationem. Firmamentum. Iudicationem. Intentionem. Inficiationem. Cæteraq; id genus, à se ficta uocabula, diligenter exposuit. Tum uocabula ipsa, quàm diligentissimè contemplatus, Narrationem, inquit,

breuem esse oportet, dilucidam, uerisimilem. Exordium, non uulgare, non commune, non commutabile, non apparatum, non longum, non separatum, non translatum, non inane. Constitutionem, primam esse conflictionem causarum. Hanc uero, coniecturalem, legitimam, iuridicialem. Itaq; singula, quùm nomina, quæ sunt quasi Rhetoricæ semina, tum præcepta, quæ Rhetoricæ artem constituere possunt. Non defuit hic Dialecticus, qui primo quidem sua sigillatim exponeret nomina. Pronuntiata. Propositiones. Assumptiones. Complexiones. Ratiocinationes. Contraria. Contradicentia. Antecedentia. Consequētia. Conditionata. Absoluta. Aliáq; id genus innumera. Quorum unicuiq; sua deinceps addidit præcepta. Pronuntiatum, inquit, uerum semper aut falsum, esse oportet. Propositionem, prius illud ratiocinationis pronuntiatum. Assumptionem, posterius. Quæ sunt contraria, nunquam simul esse uera, interdum simul esse falsa. Contradicentia, nunquam ità cohærere posse, ut simul uera, nunquam ut simul falsa esse reperiantur.

Regulæ Dialecticæ.

Hac ratione, hoc ordine, suas cõstituerunt artes, Grammaticus, Rhetoricus, & Dialecticus. Quæ artes, quo loco sint addiscendæ, quando id multi, non modo dubitant, sed & alius alium, eis in discendo locum attribuit, ut discentium utilitati magis inseruiamus, nos in præsentia pro uiribus explicare conabimur. Age igitur, nè semper cogitemus, accusatiuos & nomina, quis tandem erit, discendi, expeditus & commodus ordo? Dicam quod sentio. Et dicam quàm breuissime. Illud candida fide promittens, si cuius tibi linguæ cognitionem, uolueris quàm breuissime comparare, nunquam omnino fore, ut huius te instituti, huius ordinis, huius uiæ & rationis pœniteat. Verum, quando lingua latina, ea est, quam comparandam esse supponimus, non ab re fore arbitror, si nonnulla, quæ huic ordini maxime sunt accõmodata, de hac ipsa, primum in mediũ afferamus. Ergo eam appellamus linguam latinam, qua utebantur, ij qui Latium incolebant. Hac enim, mares, fœminæ, pueri, puellæ, domini, serui, cæteriq; omnes utebantur. Hac eadem usos

Regu'a rũ in discẽdo locus.

Lingua Latina.

esse credimus, & eos, qui uicina Latio incolebãt loca, & eos qui, armorum quotidie uiribus, addebantur Latinis. Hanc docebant nutrices, aliiq; nulla præditi scientia, qui tenellos pueros educabant. Pueri enim scholarum tradebantur magistris, à quibus, & eloquentiæ, & Grammatices, et cæterarum artium, caperent præcepta, postq; latine, & sciebant & loquebantur. Hac omnes Latini utebantur scriptores. Vulgus enim & scriptores, non nisi sermonis elegantia differũt. Sũt uero Latini scriptores, qui et in Latio, quùm uulgus latine sciebat, tota ferè uita, à teneris educati fuere, & hoc ipso tempore, opuscula ediderunt. Hæc nimirum est, ea lingua Latina, quæ, nunc quidem, mortua est, tum, uiuebat. Postquam enim barbaris, arces Romanæ parue runt, lingua Latina, funditus iuterijt. Ex cuius nimirum interitu, ea orta est lingua, qua nunc Italia ferè tota, passim & uulgo utitur. Noua enim sunt inuenta uocabula, nouæ formæ loquendi, nouus italici sermonis usus, nempe quæ à Latino sermone, plurimum abhorrere uidentur.

Ipsa uero lingua latina, tantum in scriptoribus remansit. Siquidem ante eũ quem diximus interitum, innumeras admittebat mutationes, Tunc accidebant, ea quæ de uocabulorum, & ortu et occasu, loquitur Horatius. Verborũ vetus interit ætas. Et iuuenum ritu, florét modo nata vigentq;. Post istud uero tempus, fieri nulla ratione potest, ut uel una simplex dictio, uel dictionis structura, uel loquendi denique modus aliquis, linguæ latinæ addatur. Nec uocabulorum significata, ullo pacto mutari possunt. Ergo nunc quidem temporis, non modo scholarum magistri, sed ne philosophi quidem, ne imperatores, ne reges, ne summi quidem pontifices, uerbum unum, quanuis minimum, latinæ linguæ, addere possunt. Quando igitur lingua latina, non nisi è latinis scriptoribus potest comparari, quomodo ex his tandem sit comparanda,

Lectio. dicendum uidetur. Primum omnium, ueram scriptorum lectionem. Plurima enim exponam, non quo hæc in præsentia, tibi opus esse putem, sed quo à principio ad finem usque, sit discendi

ordo, minime mancus). Primum igitur, ueram scriptorum lectionem, discere nos oportet. Id faciemus si distincte, perspicue, singulis, et dictionibus, & syllabis, & literis, quàm exactissime expressis, legemus. Quod enim in oratore magnopere laudamus, ut literæ sint non nimium expresse, id in discente, ego quidem uitupero. Quùm enim magis memoriæ hærere possunt, quæ expresse legeris, quàm quæ suppresse, tum hæc tibi corrumpi, & in alienam linguam transire, illa, incorrupta, semperq; uere latina, adesse necesse est. Distincte legemus, quùm, non uocabula uocabulis inculcabimus, non membra membris, non periodos periodis, sed ita singula recitabimus, ut si oratorum more, essent hæc, non ab alio composita recitanda, sed à nobis, tum primum inuenta, agenda, & oratorum quàm diligentissima illa actione, pronuntianda. Illud uero, mihi silentio prætereundum, non uidetur, si forte alicuius linguæ cognitionem sequaris, cuius tibi sint, ipsa etiam elementa discenda, ipsæ literarum formæ, nunc primum internoscendæ,

quisnam, ut elementorum & literarum scien/tiam, exacte teneas, ueramq; authorum lectio=nem consequaris, sit tibi ordo seruandus. Qua in re, illud scire ante diligenter oportet, semper quidem ab ijs esse incipiendum, quæ sunt captu faciliora, non tamen semper, naturæ ordinem esse seruandum. Quæ enim suis ex elementis componuntur, longe facilius & prius intelli=guntur nobis, quàm ipsamet elementa. Quamob rem dictiones prius integras, integrasq; sylla=bas, quàm ex quibus hæ componuntur literis, legendas censeo. Ea igitur lectio, quæ syllaba=tim efficitur, ut literarum notas, earumq; pote=statem, addiscas quàm citissime, expeditissima nobis uidetur. Literarum uero, quùm nomina, tum omnis uis & natura, quippe quæ sunt co=gnitu longe difficiliora, post intelligentiam lin=guæ grecæ, si forte ea lingua sit, quam scire ue=lis, reseruanda putamus. Hæc in latinorũ scrip=torum lectione, seruanda mihi uidentur. Deinde uellem, generalem modo dispositionem, infle=xionis nominum et uerborum sine ulla exorbi=

Inflexio

tantium

tantium mentione, mandari memoriæ. Dispositionem istam, cuiusmodi oporteat esse, & in nostris græcæ linguæ rudimentis, Romæ impressis, & in ea quam linguæ latinæ destinauimus, qua multos iam annos utuntur multi, satis superq; docuimus. In illa enim, omnium græcorum uerborum syluam, ad unius modo uerbi inflexionē, contraximus. In hac, unum modo præteritum, omnium temporum quæ appellant præterita, declinationem ostendit. Hæc tum græca tum latina rudimenta, iterum imprimenda curauimus. Impressa sunt igitur Romæ apud Antoniū Bladum, in eiusq; officina uenundantur. Quare cū rudimenta hæc multorum in manibus habeantur, quāuis sint hæc maximè necessaria, nequam tibi longiore afferamus oratione molestiam, in præsentia omittenda censemus. Illud non omittendum, quod necessarius ordo facit, ut deinceps mihi nunc exponendum uideatur. Ad uerbum, ea quæ primo bene legeris, optime intelliges. Ad uerbum inquam, intelliges uerba latina. Hoc caput, hæc summa est, ut ad uerbum, latini

Interpretatio ad uerbum.

authores intelligantur. Hoc *solum,& perfectam intelligentiam,& quod arbitramur difficillimũ, latinæ orationis usum,docere te potest.* Hoc *unũ, sine cæteris uniuersis, plurimum,uniuersa,si ab hoc uno fuerint destituta, nihil omnino ualere possunt.* Hac *ratione probantur discere,quicunq; in toto terrarum orbe mortales,linguæ alicuius, uel cognitionem uel usum addiscunt.* Quæcunq; *ab ijs audiunt, qui optime callent linguæ usum, ea ad uerbum primum intelligunt.* Tum *quæ intellexerunt, eodem ipsi sensu, cæteris referunt.* Quod *si quis adeo rerum usu careat,ut prius latina cæteris efferre, se posse putet,quàm ipse ab alijs elata intelligat, is si rem diligenter uolet expendere, toto se errare cœlo comperiet.* Nam *qui fieri potest,ut recte(uerbi causa)illis uerbis utare,* Vadimonium non sistit Antonius. *si quùm eisdem,rectissime* Cicero *utitur, tu interim id non capis,non uides,non intelligis?* Atqui *intelligo dum utor.* Dum Cicero *utitur, non intelligo.* Et *eadem his ratione qua* Cicero *uteris?* Istud *mihi quidem certe, non fit uerisi-*

mile. Longe siquidem facilius est, utentem alium intelligere, quàm eadem eloquutione, te commode uti. Arripe id quod est prius, id quod est facilius. Cape uerborum dum loquuntur cæteri, uerum illum & rectissimum sensum. Tum me, in eam sententiam poteris adducere, ut tu etiam, hisce uerbis, commode possis uti. Tu uero, eius qui unus, quùm in umbra, tum in puluere, armorum & pugnandi magister est, gestum, non uis animaduertere. Illud contendis ut in animum inducam, posse te, & pugna & armis, eiusmodi edere gestus, qui quàm maxime fieri potest, elegantes illos magistri gestus assimulent. Patere sentiam, id quod certe necesse est, à magistri gestibus, tuos quàm longissime abhorrere. Nam eiusmodi quadam reprehensione, et acriore etiã, si id fieri posset, arguendi mihi uidentur, qui, dũ tu Terentio nauas operam, dumq; Terentiana illa uocabula, ad uerbum, & intelligere & interpretari studes, interim, ad suas te regularum ineptias, abducere abstraheréue conantur. Suam quandam, quam falso nomine constructionem

appellant, quippe qui latine nondum scire potuerint, & Grammaticæ quidem nullatenus attigerint artem, tempus uero, non in uerorum Grãmaticorum, sed in uanorum quorundam hominũ, uanis nominibus, omne consumpserint. Suam quandam constructionem, molestissime præseferunt. Quæ constructio, non à latinorum authorum aliquo, non à bono saltem Grammatico, in medium allata, sed ab ipsis stultissime adinuenta, illud modo eloquentiæ, ex latinis me authoribus iubet excerpere, ut quod ipsi eleganter dicunt, **Degeneres animos, timor arguit,** *ego insulse, Timor, arguit animos degeneres. Tu, dum me ista constructione doces, isto modo pronuntiare uerba latina, putas te latine docere? Nónne primo uides, stultam barbariem, & tuis & meis auribus infundere? Deinde, dũ* **degeneres animos** *uis construere, à latini authoris sententia, longe pessimeq; degenerare? Quid illud,* **Degeneres animos timor arguit?** *quid docet? Id primum recte intellige. Tum tuæ barbariæ, alium longe sensum esse*

intelliges. Tu, quùm & sæpius ista tua constructio, in diuersa dilabatur sensa, & semper ferè, fœdam incidat in barbariem, tu mihi cõstructionem audes obijcere? Tu constructionem audes nominare? Illa uero, quùm, & authorum sensa destruat, et lædat eloquentiam, et id quod quasi templum erat optime constructum, in suas ita distrahat partes, in sua diuidat elementa, ut nulla templi forma remanere uideatur, uide ne uerius destructio sit appellanda. Tu, id quod nulla ratione fieri potest, ut melius construatur, mihi melius uis construere. Destruis, destruis ista ratione, non construis. Nec me latet oportere, in uerbis et oratione, non modo sensum singulatim loquentis intelligere, non modo artificiosum illum uocabulorum ordinem, ore loqui, sed & naturalem quendam singulorum uerborum ordinem, animo diligenter peruestigare. Necesse est inquam, si ueram authoris alicuius requiris intelligentiam, uerbum scire singulum, cui nam uerbo, naturali suo ordine sit adiunctum. Hunc quidem naturæ ordinem, ani-

Ordo naturalis.

mo modo, intelligendum esse dico. Illum uero artis, scribendum, pronuntiandum, interpretandū. Itaq; semper tibi quidem erit dicendum, Vos ísthæc íntro auferte. Erit tamen animo cogitandum, uerbum Auferte, alijs quæ ante semper pronuntiantur, duobus uerbis, naturali suo ordine præcedere. Hunc tamen animi cogitatum, ad eloquendi usum, nunquam transferendum putamus. Adeo latinam orationem, ad uerbum, & intelligendam, & interpretandam esse censemus. Qua in re, etiam latini negotij, caput & summam contineri, ut etiam supradiximus, certe possumus affirmare. Non nihil tamen interim profuerit, ea quæ intellexeris, ad prædictam inflexionis dispositionem, singillatim reducere. Nominum siquidem & uerborum unumquodque, ad sui generis uocabulum, inflexione est conferendum. In nominibus non facile quisquam errauerit. In uerbis, maiore quadā, ne fortè quis labatur opus est diligentia. Ergo omnem euitabis errorem, si ut nostra, tum græca tum latina, inflexionis serie continetur, singu

Inflexio

la uerba, non ad unum quem appellant uerborũ modum, sed ad unum quod appellant uerborum tempus, reducas. Modi enim, *non continent primas uerborum matres, primos fontes, primas origines.* At *singula continent tempora.* Tuli, Fui, Memini. *sunt hæc tempora, primæ matres, primi fontes, primæ multarum uocum origines. Itaque, quasi nascuntur ex singulis fily.* Tulissem, tulerim, tulero, tulisse. Fuissem, fuerim, fuero, fuisse. Meminissem, meminerim, meminero, meminisse. *Non ab simli ratione,* Tetigi, tetigissem, retigerim, tetigero, tetigisse, *cotinent in se matrem, fontem, originem.* Sicut *etiam,* Tango, tange, tangam, tangerẽ tangere. Frango, frange, frangam, frangerem, frangere. *Cæteraq; uniuersa, ita sese habere uidentur, ut si unius temporis uoces, in unum conferantur, harum semper uniuersum gregem, unam quandã, à tergo sequi uideas, quasi ducem.* Hoc *in modis non reperies.* Collige *omnes optandi uoces, in eis non inuenies matrẽ.*

Collige ſubiungendi, uidebis filias, matris deſyderio mœſtas, non inter cognatos, ſed fœde inter extraneos errabundas. sit igitur id in perpetuum præceptum, ut quæ appellant uerba, non ad modos, qui matres eſſe non poſſunt, ſed ad tempora reducantur. Tum placet, diſcipulum quenq; in maiore quadam intelligentia, quàm ea quæ ad uerbum interpretando gignitur, diu uerſari. Singulos ſcriptores, non modo ad uerbum primo, ſed ad ſenſum quoque deinceps interpretari. Ergo, Nodum informis lethi, trabe ſuſpendit ab alta, primo id eſt, ad uerbum interpretandum. Tum intelligendum, quid tandem tot ambages ſignificent. Latini ſermonis formulæ, modiq; loquendi, quàm plurimi ſunt diſcendi. Quæ formulæ, non niſi ex probatis authoribus, ſunt eliciendæ. Ex approbatis inquam latinis authoribus, eliciendi ſunt modi latinæ orationis. Ex approbatis græcis, græcæ. Longe enim falluntur, ij qui à noſtræ ætatis hominibus, latine ſeſe loqui, uel ſimulantibus, uel cèrte credentibus, commodæ oratio-

Interpretatio ad ſenſum.

Regulæ Latinæ.

nis formam haurire se posse putant. Ego me nõ latine loqui, certo scio. Multos audiui, multo ipse cognoui, qui longe magis quàm sint hæc nostra, latini, mihi etiam uidebantur. Quos tamen, uerissimè latine loqui, affirmare non ausim. Nec me, quicquam illis in præsentia derogare puto, quùm ipsi, quò magis in oratione accedunt ad ea quæ sunt uere latina, eo minus, latinæ orationis gloriam, sibi audeant arrogare. Sint igitur, ij uere latini, quos diximus. Cæteri omnes (nec in eorum me numerum, arroganter intrudam) cũ maxima laude, latinos assimulent. Vere latine loqui, minime fateantur. Latine loquendi formulas, minime subministrent. Tu deinceps, latine non nihil, uerum id raro, scribere potes. Priusq; uero, totius linguæ latinæ aliquam partem attingas, nihil uel admodum parum, Grammaticæ audias. At quo primum tempore, eò assidua lectione, te peruenisse cognoueris, tum uero, Grammaticæ propria illa uocabula, tibi sunt intelligenda. Præceptáq; Grammatices propria, & intelligenda, & quàm diligentissime discenda. Quod idem

Scriptio.

Regulæ Grãmaticæ.

Regulæ Rhetoricæ. in Rhetoricis & Dialecticis, faciendum iudico. sed bonorum interim authorum lectionem, nunq; relinquas. Quæ in authoribus legis, ad prædictas regulas resolue. Regulæ Dialecticæ. Tum frequentissime, latine, & loqui & scribere, pergendum censeo. Scriptio. Hac mihi potissimum uia & ratione, uideris, tibi latinam posse eloquentiam comparare. Quæ uia & ratio, si tibi ullo pacto prodesse possit, siquam tibi utilitatem afferre, tum uero ego, qui ut tibi consulam, non modo cunctos subire labores, sed uitam etiam profundere paratus sum, laboris mei fructum feram uberrimum. Sin minus, tu (quæ tua est humanitas) hos meos quoscunq; conatus, indicia certè animi erga te mei, non conatus, sed tibi pretiosa munera duces. Vale.

Humillimus seruus Angelus Caianus.

Ad lectorem.

NE existima candide lector, me unum; huius esse sententiæ, quam his literis exposui. Sunt quamplurimi eruditissimi uiri, quibus ea minime displiceat. Quorum nonulli (ut tute infra uidere potes) illi etiam subscripserunt.

Carolus Grassus Bononiensis Episcopus Montis Falisci.
Basilius Zanchius Bergomàs.
Iulius Poggianus Mediolanensis.
Annibal Charus.
Vlysses Bassianus Bononiensis.
Hippolytus Saluianus Tiphernas.
Iohannes Pacinus Lucensis.
Franciscus Racanus Amerinus.
Timotheus Fabius Britonoriensis.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO

BIBLIOTECA NAZ